



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

CIX. Differentia 35. Iure Canonico sententia lata contra matrimonium
nunquam trnasit in rem judicatam, imò quandocunque compertâ veritate
retractatur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

Iure Canonico sententia lata contra matrimonium nunquam transit in rem iudicatam, imò quodcumque compertâ veritate retrahatur, c. Lator, c. Tenor, c. Confanguinei, de re iudicata. Secus iure civili to. tit. C. de execut. rei iudic. Ioann. Bapt. à S.

Blasio 189.

I. IN citato c. Lator, Alexander III. Archidiacono N. mandat, ut virum ac mulierem, de quibus ibi agitur, cognito Ecclesiam in permessa separatione deceptam esse, simul permanere cogat. Non obstante, ait Gloss. sententiâ prius latâ, quia contra matrimonium non currit præscriptio, c. Quod Deo 33. q. 5. nec ab ea sententia fuit appellatum, quia sententia lata contra matrimonium non transit in rem iudicatam, quin revocetur, quodcumque error detectus fuerit, ut hîc patet. Et infra c. Fraternalitatis, de frig. & malef. sic nullo temporis tractu matrimonium confirmatur in gradu prohibito contractum, c. Non debet, de consanguin. & quod dici consuevit, sententia contra matrimonium non transit in rem iudicatam, verum est, ubi bene conjuncti indebitè separantur. Nam, quos Deus conjunxit, homo separare non potest: ideo quodcumque contrarium legitime constitit, sententia retrahitur. Idem fiet, cum aliqui in gradu prohibito sunt conjuncti, vel ali-

quo alio perpetuo impedimento, quia nullum est ibi matrimonium: unde nullus consensus potest matrimonium inducere inter eos. Sed ubi sententia fertur pro matrimonio, nullumque subest impedimentum, si ab ea non fuerit appellatum, transit in rem iudicatam, quia iudicatis acquiescisse videtur. Unde postea non audietur, imò compelletur alter alteri adharere. Ita Gloss.

II. His positis, si quod Ioann. Bapt. de S. Blasio ex Cod. allegat, sententiam definitivam semper transire in rem iudicatam, ne quidem matrimonii causâ exceptâ, verum esset, multum sanè Canones & leges discrepant. Nunc autem in plurimis casibus etiam iure civili sententiam definitivam non transire in rem iudicatam. Maranta docet in part. 6. iudicior. tit. de sententia, an. 130.

quem legendum
suadeo.

* * *

TITV-